



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

QUI AB USQUE

MARIA VIRGO SUB TITULO «SANCTAE SPEI» CONFIRMATUR PATRONA
CIVITATIS VULGO «BATTIPAGLIA», IN ARCHIDIOECESI SALERNITANA

Ad perpetuam rei memoriam. – Qui ab usque ineunte aetate semper Virginem Christi Matrem praecipuo amore atque dilectione prosequi consuevimus, nullam sane occasionem praetermittimus, per quam eius honor, decus, laus inter Christi fideles accrescat: illa enim nemo est qui apud Deum aut ampliore dignitate fioreat, aut potentia vigeat, aut intercessione valeat.

Qua re, cum populus Battipaleensis, cuius urbs archidioecesis Salernitanae finibus continetur, beatissimam Virginem Mariam sub titulo «Sanctae Spei» in quam singulari religione fertur, iam Patronam suae civitatis elegerit, electionem vero Venerabilis Frater Caietanus Pollio, sacer illius Ecclesiae Archiepiscopus, rite probaverit, idemque suo clerique populique nomine confirmationem actae rei a Nobis petierit, ad normam Instructionis «De Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, Nos, cum omnia constet ad iuris regulas esse facta, libenti animo admotae expostulation concedimus.

Quae cum ita sint, cuncta rata habentes, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, factis olim a Nobis potestatibus, hac de re statuerit, beatissimam Virginem Mariam sub titulo «Sanctae Spei» Patronam urbis ac civitatis Battipaleensis declaramus atque renuntiamus, cum iuribus debitis ac privilegiis liturgicis iuxta rubricas, rati fore ut tum populus per occasionem pietatem augeat, tum Mater Sancta ad perpetuam benevolentiam inclinet. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die XVIII mensis Aprilis, anno MCMLXXIX,

Pontificatus Nostri primo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a Publicis Ecclesiae Negotiis*

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana